

182

180

186

176

191

171

231

131

281

081

Ende

Anfang

171

nunt in saccos et in barcas deportant, in quibus ducuntur in galeas. Cumque ad tempus ibi stetissemus, conduximus barcam et in classem navigavimus ad videndum galeas, in quibus reducendi fuimus in patriam. Visis galeis (**D**) remeavimus ad littus, et ingressi urbem sub porta iterum visitati fuimus, et sub interiori porta stabat unus Soqui, sacerdos Sarracenicus, ululans et clamans, ad vespertinam orationem populum invitans. Ingressi ergo sumus in nostram domum ad quietem.

Conductio navium pro transductione.

Fricesima die in aurora audivimus tumultum in mari et intelleximus advenisse aliquas naves, et sperabamus, quod essent naves, quas Veneti exspectare se dicebant, ante quarum adventum non poterant recedere, nec nos poteramus conventionem inire cum eis. Statim ergo missa finita ad mare processimus et, sicut speravimus, ita reperimus advenisse desideratas naves de Africanis locis. Regressi ergo in domum infra (inter) prandia colloquium habuimus cum consule, qualiter nos habere deberemus in conventione cum patronis navium, et an simul omnes in una navi deberemus manere, vel in tribus navibus per tres societates. Ad quod respondit consul, quod nequaquam possemus omnes simul esse in una galea, propter onera multa navis cuiuslibet, et difficulter possemus in tribus recipi galeis, suasitque, ut qui libet sibi provideret de navi et conductionem meliorem quo possit faceret, quia patronos duros essemus habituri in conventione. Finito ergo prandio intravimus fonticum Venetorum et cum dominis galearum patronis contulimus de transvectione nostra et de pretio et naulo, sed duriores invenimus eos et indiscretiores in postulando nauolum Sarracenis et Arabis, unde aliqui postulabant de peregrino uno quinquaginta ducatos, ad quos praestandos dum difficiles essemus, quidam alius superbis patronus dixit, se non minus quam centum ducatos de homine accepturum. Et illo modo deridebat et vexabat nos. Verum ista indiscreta postulatione non obstante domini primae societatis conventionem fecerunt cum domino Sebastiano Conterini, patrono galeae principalis classis, in qua consul Alexandriae cum filio suo et capitaneus classis trans-

